

LEGES ACADEMIÆ

& adiuuate conseruationem ministerij Euangelici vera reuerentia & debitis officijs.

Parentibus, Principibus & Magistratibus vestris reuerenter obedite, ac præceptoribus morigeri & grati sitis, quia scriptum est: Non recedet malum à domo ingrati.

Nemo turbet pacem publicam seditiosis tumultibus, Nemo occidat hominem, Nemo lædat alterius hominis corpus.

Sitis casti, vt inuocare Deum castitatis amantem possitis, & vitate omnes commixtiones diuinis legibus prohibitas, & agnoscite iudicium Dei, quia certissimum est, horribiles pœnas vagari per totum genus humanum propter libidinum confusiones, vt scriptum est Leuitici cap. 18: Omnis anima quæ faciet aliquid harum abominationum, peribit ex populo suo. Ne polluamini his abominationibus, Ego Dominus Deus vester, videlicet & hoc præceptum vobis trado, & vindex ero.

Non sitis fures, neminem defraudate, non rapite res alienas, non depopulamini hortos, non oppugnatæ cuiusquam ædes. In emptionibus, conductionibus, mutuacionibus & alijs contractibus exercete iusticiam, & fideliter pendite quicquid alijs debetis. Hanc æqualitatem sanxit vox diuina, vt dicitur Leuitici cap. 19. Ne faciatis inæqualitatem in iudicio, in mensura & pondere, vult enim Deus intelligi iusticiam esse æqualitatem, vt sciamus & ipsum æqualem esse, ac horribiliter irasci omnium sceleribus, & recipere omnes,

nes,